



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio IV. De actibus spei annexis præsertim de timore servili.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

luit Deus Spem esse necessariam ut per eam erudiremur quodammodo, & manu duceremur ad Charitatem.

Secunda pars, de necessitate præcepti affirmatiui late tractatur à Sanche lib. 2. moralis operis cap. 33. Azor, Lorca obligat videlicet Spes primò directè ac per se id est ratione sui, quod colligitur ex Apostolo 1. ad Timoth. 6. *Diuitibus huius sæculi præcipe, non sublimè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum sed in Deo vivo.* Deinde quia sine actibus Spei quibus intendamus efficaciter finem Christianæ vitæ nemo potest, instituere, cum intentio finis sit principium cuius gratia fiunt omnia. Secundò per accidens obligat hoc præceptum ratione alicuius alterius præcepti quod obseruari sine actu Spei non potest. De præcepto negatiuo vetante actus Spei contrarios res est clara cum illi sint intrinsecè mali.

Tertia conclusio.

Dico tertio, actum Spei esse omnino supernaturalem secundum substantiam. Ita enim Catholici omnes supponunt tanquam certum ex Fide & latissime probat Suares lib. 2. de gratia cap. 12.

Primò enim præter Scripturas & Patres quos plurimos citat prædictus author, aperta est definitio Tridentini sess. 6. cap. 6. & 7. & Canone 3. ubi dicitur quod spem accipimus infusam à Deo simul cum Charitate, & inter dispositiones ad iustificationem numeratur actus Spei. Deinde idem probant supernaturalitas obiecti quod est supernaturalis beatitudo, necessitas gratiæ ad sperandum, & necessitas iudicii Fidei prælucentis voluntati elicienti actum Spei, unde dicitur ab Apostolo *Fides esse substantia rerum sperandarum.*

Solutio primæ difficultatis.

Ad primam Resp. tunc obligari hominem ad eliciendum actum Spei quando primum peruenit ad vsum rationis, vel certè breuissimo aliquo tempore post, & deinde quoties vrget grauis aliqua tentatio contra spem. Non videtur autem verum quod aliquoties in vita obligamur elicere actus Spei, nemo enim confessarius pœnitentes ea de re interrogat, verum est quod per actum Charitatis iustificari homo potest sine actu Spei, sicut etiam sine actu Charitatis iustificari potest quilibet in Sacramento, hinc autem sequitur necessariam non esse in re Spem, aut Charitatem, quamuis semper necessariae sint in voto.

Solutio secundæ.

Ad secundam Resp. sæpè dictum esse Spem Theologicam habere semper motiui formale diuersum à motiui Spei acquisitiæ, quia Spes acquisita nunquam tendit in beatitudine, sed supernaturaliter cognitam propter puram rationem, & supernaturaliter possibilem ex auxilio gratiæ, sed in illam tendit sub generali ratione commodi, & propterea simpliciter est possibilis, præscindendo à modo quo est possibilis; Denique idem habebit obiectum in ratione rei, non idem in ratione obiecti, appetet enim eadem, sed non eodem modo ut ex dictis constat.

SECTIO IV.

De actibus Spei annexis præsertim de timore seruilis.

S. Thomas, Quæst. 19.

Actus prosequutiui Spei.

Certum est primò, nullam esse virtutem appetitiuiam, ut sæpè monui, quæ circa suum obiectum, non eliciat omnes illos actus, quos elicere solent voluntas & appetitus circa bonum, & malum. Vnde necessariò fit ut virtus Spei Theologicæ, amet absolutè beatitudinem desideret illam simplici desiderio, & desiderio etiam illo efficaci quod intentio dicitur: beatitudine fruatur, & de illa gaudeat. Est autem delectatio illa duplex altera patriæ omnino plena & perfectæ. Satiabor cum apparuerit

gloria tua. Altera est viæ propria & inchoata tantum, sed eximia tamen & suauissima iuxta illud Apostoli Roman. 12. *Spe gaudentes: & oritur* (inquit S. Thomas quæst. 18. art. 1. ad 3.) *ex certitudine illa Spei per quam expectamus diuini boni fruitionem.*

Certum est secundò, ad eandem quoque Spei virtutem pertinere actus omnes auersatiuos odium, fugam, dolorem, timorem amittendæ beatitudinis, & incurrendæ damnationis æternæ, quia pertinet ad eundem habitum prosequi bonum, & auersari malum oppositum, non enim auersamur malum nisi ex amore boni.

Inter eos actus solus timor seruilis aliqua eget explicatione; videturque contineri potissimum triplici capite, primò quid & quomplex sit timor Dei, secundò an & quomodo sit honestus.

§. I.

Quid, & quomplex sit Dei timor.

Ratio dubitandi est primò, quia timor vniuersim appellatur fuga quædam appetitus circa malum arduum, & imminens, sed Deus nullo modo est malum imminens, ergo nullus esse potest timor versans circa Deum.

Secundò, illud quod est purè voluntarium non est arduum, peccatum quod dicitur obiectum timoris filialis est purè voluntarium, ergo non est arduum, non est obiectum timoris, cuius obiectum est malum arduum.

Tertio, malè timor reuerentialis dicitur species timoris cum sit tantum reuerentia quadam exhibita Deo propter excellentiam, ubi nullum apparet esse malum quod timeatur.

Dico primò, timorem vniuersim rectè diuidi primò in timorem diuinum, & timorem mundanum: timorem diuinum in filialem, seruilem, & reuerentialem: timorem filialem in perfectum, & initialem: seruilem in bonum & malum.

Prima ergo diuisio timoris ratione personarum quæ timentur non potest esse magis adæquata quàm in diuinum & mundanum. Diuinus timor est is quo timeatur malum diuinum, vel certè malum quod Deus inferre potest, Deus enim cum non sit nisi bonus, potest esse obiectum Spei, sed non potest esse obiectum timoris in se ipso, timentur enim quatenus potest inferre malum, vel certè timentur id quod est ipsi malum. Vnde fit ut timor Dei non sit minus actus Theologicus quàm Spes aut Charitas, cū immediatè versetur circa Deum cuius possessione priuat peccatum, vel certè circa malum oppositum Deo summè bono, loquor enim de timore qui proprius est actus tūm Spei, tūm Charitatis: timor mundanus est is quo timeatur peccatum propter malum aliquod temporale ab hominibus inferendum, qui timor non tantum non auertit à peccato saltem interno, sed ad illud sæpius inclinat, quia sæpè peccatur ut euitetur malum.

Secunda diuisio timoris diuini est etiam adæquata: timor filialis est quo non timeatur pœna peccati, sed peccatum ipsum quia malum est Dei, vera scilicet eius offensa, Dei contemptus vilificatio, iniuria, dissolutio amicitie cum ipso, Dei contristatio & quantum est de se destructiua. Timor seruilis est quo timeatur peccatum non proptè malum diuinum, sed proptè malum nostrum, & causa æternæ pœnæ à Deo inferendæ per hunc enim timorem non timeatur immediatè malum diuinum ut sic, sed malum diuinum quatenus malum est nostrum: quia timeatur peccatum & eius pœna, timeatur etiam Deus à quo est pœna. Timor reuerentialis

reuerentialis est affectus quidam reuerentie & subiectionis ad Deum, ortus ex apprehensione infinitæ illius excellentiæ supra nos. Hic timor non propriè versatur circa peccatum vt duo alij, neque pertinet ad Charitatem aut Spem, sed versatur circa honorem & reuerentiam Dei supra nos infinitè digni & magni pertinereque vel ad virtutem religionis, vel est bonum Spiritus sancti quoties speciale illius motuum est impulsus Spiritus sancti.

Timor filialis.

Timor initialis.

Tertia diuisio timoris filialis est etiam legitima, nam alius est perfectus, quem Charitas efficit propria perfectorum, quoties scilicet timetur malum culpæ quia est malum diuinum, sine adiutorio timoris seruilis quo timetur peccatum quatenus est causa mali à Deo inferendi. Alius est initialis quem elicit etiam Charitas propria incipientium cum sic timetur offensa vt malum Dei, vt timeatur etiam quatenus causa est pænæ sequuturæ. Vnde dicit S. Thomas quod hic timor versatur partim circa culpam partim circa pænā, non quod formaliter vnus & idem actus duplex illud motuum habeat, sed duo actus simul sint, imò & timor filialis imperetur à seruilis, aut etiam illum imperet. Immeritò autem aliqui timorem initialem eundem esse putant cum seruilis, quem foras mittit perfecta Charitas vt postea dicitur. Communior enim & verior est explicatio S. Thomæ à me tradita.

Duplex timor seruilis.

Quarta diuisio est timoris seruilis, quorum alter est seruilis simpliciter, quoties timetur peccatum propter pænā, sed non includitur voluntas peccandi si abesset pænā. Alius est seruilis cum seruitilitate, quo timetur peccatum propter pænā, cum virtuali proposito peccandi, si abesset pænā; hoc enim est timere pænā supra culpam, estque inordinatum vt postea patebit.

Solutio primæ dubitationis.

Ad primam dictum est Deum in se ipso non time-ri, cum sit ipsum bonum, se ipso bonum, omnis boni bonum. Sed timeri tamen posse ac debere quatenus ab ipso vel per comparisonem ad ipsum, nobis potest imminere malum. Ab ipso imminet malum pænæ si pecces, per comparisonem ad ipsum imminet malum culpæ quod ipsius Dei est malum, primum timet seruilis timor, secundum timor filialis.

Solutio secundæ.

Ad secundam Respondeo culpam quamvis sit voluntaria, esse tamen obiectum timoris, quia difficillimum est non velle peccatum propter pondus voluntatis ad peccatum, quod etiam augeatur interius per passiones concupiscentiæ, ab extrinseco autem per demonum impulsus, exempla, suasiones, & innumera incensura peccati.

Solutio tertiæ.

Ad tertiam dictum etiam est timorem reuerentialem magis quidem propriè pertinere ad virtutem religionis, sed pertinere etiam posse ad verum timorem annexum Spei cuius obiectum esse potest aliquod malum, nimirum agere minus reuerenter, & non humiliari coram Deo summè magno & supremo Domino.

§. II.

An & quomodo timor Dei sit honestus.

Prima dubitatio.

DE solo timore seruilis dubium aliquod esse potest propter Lutherum, Caluinum, & nuperos dogmatistas qui cum omnem timorem damnant vt malum, contra quos in tractatu de penitentia dictum est fusiùs, nunc præter ea quæ ibi dicta sunt.

Ratio dubitandi primò sit, quia illud non potest esse bonum quod est contrarium Charitati, & est cum illa incompatibile, sed timor præsertim seruilis est contrarius Charitati, & est cum illa incompatibilis, nam seruitus opponitur libertati, amor autem est Spiritus libertatis & filiorum, quod enim sit ex

amore, sit sine coactione ac omnino liberè, quod autem cum timore sit, seruiliter sit: vnde dicitur in Epistola Ioannis, quod perfecta Charitas foras mittit timorem, non mitteret autem foras timorem si non esset malus & cum Charitate impossibilis.

Secunda

Secundò, timor seruilis non potest non esse malus si virtualiter, & in actu exercito dicit non fugere peccatum si non esset pænā, sed nullus est timor seruilis qui non hoc dicat, nam quod timor seruilis cum seruitute dicit in actu signato & formaliter, timor quilibet seruilis dicit virtualiter & in actu exercito, ergo ille actus est malus.

Tertia

Tertiò, ille actus inordinatus est, in quo pænā timetur vt summum malum, sed in timore seruilis pænā timetur vt summum malum, & vt maius malum quam culpa, propter quod enim vnū quodque tale, & illud magis, ergo ille timor est inordinatus & malus.

Conclusio.

Dico secundò, timorem Dei esse bonum & sanctum, siue sit filialis, siue reuerentialis siue seruilis siue seruiliter: Timorem autem seruilem cum seruitute, aut etiam mundanum esse semper malum & damnabilem.

Timor Dei vniuersina bonus est.

Primò enim quod bonus sit Dei timor, omnes pagine Scripturarum edocent, dicitur enim Plal. 110. *Quod initium sapientia est timor Domini.* Explicat autem S. Thom. art. 7. Quod licet sapientiæ initium quantum ad eius assentiam, sint articuli Fidei, tamen quantum ad eius effectum, timor tam seruilis, quam filialis est eius initium, redditque rationem, quia sicut initium artis secundum eius essentiam sunt principia ex quibus procedit ars, initium verò artis secundum eius effectum, est illud vnde incipit ars operari, fundamentum enim verbi gratia est initium artis edificatoriæ, quia semper à fundamentis incipit operari qui edificat: sic cum sapientia sic cognitio diuinorum prope est directiua humanæ vitæ secundum rationes diuinas, oportet vt eius initium secundum essentiam, sint principia Fidei quibus cognoscitur Deus, initium autem secundum effectum, seu id quo primum operatur, & quod ante omnia perficit sapientia sit Dei timor tunc seruilis & filialis, quo excluditur omne peccatum, tunc reuerentialis quo Deum homo reueretur, & se illi subijcit: ab ijs autem duobus operationem suam inchoat Sapientia, quæ cognoscitur Deus, & secundum diuinas rationes regulatur vita. Imò dicit optimè Augustinus lib. 83. *questionum* quod timor Dei non solum inchoat, sed etiam perficit sapientiam, quia in his duobus tota incipit & consummatur sapientia.

Timor filialis est honestissimus.

Secundò, quod timor Dei filialis & reuerentialis sit optimus, non eget probatione, primus enim ille timor actus est perfectissimus amoris quia vt habetur ex Augustino ibidem quæst. 33. *Nulla est metuendi causa nisi id quod amamus*, eadem enim virtus quæ inclinatur ad amandum aliquod bonum, inclinatur etiam ad fugiendum oppositum illi malum, ergo eadem Charitas, quæ vult bonum Deo, malum etiam Dei odit & auersatur. Et de illo potissimum timore intelligi debent omnia quæ habentur in Scripturis elogium timoris Dei, vt cum dicitur, *Timor Domini Sanctus permanens in sæculum sæculi: timor Domini gloria, & gloriatio, & letitia, & corona exultationis: timor Domini delectabit cor, & dabit gaudium & letitiam, & longitudinem dierum: timentis Dominum bene erit in externis, & in die desunctionis sue benedicetur.*

Timor reuerentialis.

De timore reuerentiali nihil opus est dicere, nam ille donum est Spiritus sancti præstantissimum vt constat ex Isaia 11. quia scilicet per illum reueremur voluntariè Deum, & nos ei subducere fugimus, per timorē enim illum reddimur facile mobiles à Spiritu sancto, nam vt mobile aliquod motum mouentis recipiat requiritur subiectio, timor autem reuerentialis hominem Deo subijcit perfectissimè, reddit ergo facile mobilem à Spiritu Dei, vnde requiescere dicitur super

super Christum, imò dicitur quod omnis Christi habitus & tota vita fuit timor Domini: *Et Spiritus eius* (inquit) *cum timore Domini.*

Timor seruilis est bonus.

Tertio ergo de timore seruilis tota nunc controuersia est contra Nouatores, quorum ante oculos non est Deitior, vnde nec mirum est quod contritio sit & infelicitas in viis eorum & viam pacis non cognoscant eorum autem stultissimam amentiam confutant optimè Catholici Theologi, vt docebo in tractatu de penitentia, præsertim autem Rossensis in articulum secundum Lutheri, Vega lib. 6. Tridentinum, & qui alios plures refert Suares lib. 2. de gratia cap. 23.

Authoritas.

Et sanè mirum est non legisse aduersarios Euangelium Matthæi decimo, vbi Christus tam aperte dicit *timete enim qui potest animam & corpus mittere in gehennam*, hic enim gehennæ timor seruilis est de quo loquimur. Non legisse Concilium Tridentinum sess. 6. can. 8. vbi anathema dicitur illi qui dixerit timorem gehennæ per quem ad misericordiam Dei à peccatis abstinendo confugimus, si voluntatem excludat peccandi, esse peccatum, & cap. 6. *Is timorem esse vnam ex dispositionibus ad iustificationem.* Deinde si rationis capaces sunt aduersarij, certè pudebit illos suæ cæcitatibus, nam timere id quod est verè malum, non potest esse nisi bonum; malum enim est obiectum timoris, sicut bonum est obiectum amoris: damnatio autem æterna est verè mala, ergo non potest esse nisi bonum timere penam æternam, sicut est bonum beatitudinem æternam sperare: ad eandem virtutem Theologicam Spei pertinet vterque actus, vt ex dictis patet: tam ergo est & honestus ac Theologicus seruilis timor, quam Spes est virtus Theologica.

Ratio.

Deinde S. Thomæ ratio est optima art. 4. quia timor seruilis non est malus si seruilitas non ita est de ratione huius timoris seruilis, vt debeat timere penam tantum principale malum, & non possit ordinari ad Deum finem vltimum, sed seruilitas non ita est de ratione timoris seruilis, vt debeat timere penam vt principale malum, & non possit ordinari ad Deum finem vltimum, ergo timor seruilis non est malus: Probatur minor, quia obiectum timoris seruilis est pena, cui accedit quod bonum cui opponitur, ametur vt finis vltimus, vel quod ordinetur in Deum vt finem vltimum, & consequenter quod pena non timeatur vt principale malum, ergo seruilitas non est de ratione timoris seruilis, qui ordinari etiam potest in Deum, & non necessariò timet penam vt malum principale.

Ratio S. Thomæ.

Quartò denique quod timor seruilis cum seruitute sit malus, & damnabilis, atque etiam timor mundanus manifestum est, quia vterque adiunctam habet voluntatem peccandi conditionatam quæ semper mala est, Deinde prior ille timor anteponit in actu signato malum penæ malo culpæ quod est inordinatum, & propterea timorem huiusmodi mancipiorum proprium damnant sapientissimè scriptura & Augustinus; quorum testimoniis pessimè abutuntur aduersarij, vt euellant ab hominum animis timorem hunc sanctum, & sic virtutem omnem conuellant. De timore mundano, quo auertimur à Deo, & peccamus propter metum hominum non est hic agendi locus, perspicuum enim est quàm hoc iniuriosum sit Deo, vt merito dixerit Christus, *qui erubuerit me coram hominibus, erubescam & ego enim coram Patre meo.*

Ad primam Respondeo satis ostensum esse quod timor seruilis sine seruitute, nullo modo excludit actum Charitatis perfectiorem, quia etiam si detestetur peccatum propter penam, nullo tamen modo impedit actum, quo detestetur illud etiam vt Deo contrarium, nulla etiam est oppositio inter illos duos actus, nolo peccare quia timeo penam, nolo peccare quia peccatum Deo displicet. Fateor igitur quod per-

Solutio primæ dubitationis.

fecta charitas foras mittit timorem mundanum, & timorem seruilem cum seruitute: Imò & timorem etiam seruilem minuit quoad anxietatem, & sollicitudinem, quæ adiuncta esse solet timori, homo enim Deum amans vix attendit sua commoda, sed solius dilecti respicit bonum. Imò amor perfectus maximam in amico fiduciam parit, per quam anxie absteruntur curæ, manet autem semper timor in homine viatore secundum propriam rationem timoris vt merito dictum sit à Dauide, *timete Dominum omnes sancti eius*: actus enim ille bonus est, potestque imperari à Charitate, & est ferè necessarius in hac vita ad seruandam Charitatem, & omnibus perfectis consultatur, nam sancti amant etiam suam beatitudinem, & odio habent suam damnationem, quam etiam timeant, quia sciunt vanos omnino esse conatus nostros, & inconstantiam voluntatis, vnde temper in timore & tremore suam salutem operantur.

Quomodo stet timor cum charitate.

In beatis manet aliquis timor.

Solutio secundæ dubitationis.

Solutio tertiæ.

Spes est posterior.

Prior charitate.

Spes non destruitur per quodlibet peccatum.

SECTIO V.

De habitu Spei Theologica.

Pertinent ad hunc habitum sine dubio illa omnia quæ generatim disputata sunt de habitibus Theologicis, & quæ specialiter etiam dixi de habitu Fidei, tria tantum specialiter videntur spectare ad habitum Spei. Primum est de ordine quo generatur secundum de modo quo corrumpitur: tertium de subiecto in quo reperitur; in quibus nihil video esse quod longo egeat examine.

Certum igitur primò est, habitum Spei ordine generationis esse posteriorem habitu Fidei, sed naturaliter esse priorem habitu charitatis. Ratio est quia, non potest in nobis generari nisi eam præcedat cognitio aliqua supernaturalis, quæ in homine viatore, non est alia quam cognitio Fidei, vt merito Apostolus Fidem nuncupet *sperandarum rerum substantiam*. Deinde suavis ordo prouidentia omnino exigit vt hominem ab imperfectioribus ad perfectiora dirigat: & prius eum conuertat ad Deum vt bonum suum, quàm ad Deum in se bonum.

Certum est secundò, Spei non destrui per quodlibet peccatum mortale, sed tantum per peccatum mortale infidelitatis aut desperationis. Sic enim omnino stantur omnes Theologi, colliguntque ex Tridentino sess. 6. c. 6. vbi dicitur quod *Spes est dispositio ad iustificationem, & sess. 14. cap. 4. dicitur attritionem quam peccatores ex metu penarum communiter concipiunt, si voluntatem excludat peccandi & Spem habeat venia coniunctam, esse impulsus Spiritus sancti,*